



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 107. Titulus XXXIX. & XL. De Blasphemis, jurejando, & Sortilegis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1584. ipse suscipiet, aut speciali rescripto Vicario demandabit: nec ea res in foro ordinario ab officiali tractabitur. fiant inventaria duo omnium reliquiarum, ornamentorum, vasorum Ecclesiasticorum, quorum unum penes Episcopum, alterum penes capitulum remaneat.

Omnia documenta, & instrumenta Ecclesiastica, quæ variis hominum manibus habentur, & bellorum injuria sparsa sunt, in Archivis propriis reponantur, & sedulo asserventur ab iis, ad quos pertinet ejus rei cura. Curati, & quicumque diebus dominicis, & festis publice ad populum concionantur, significant, usurpatores jurium, ac titulorum Ecclesie, uti decimarum & foundationum, excommunicationis sententiam incurrisse: eos etiam, qui, dum Ecclesiastica documenta jussu Episcopi, aut aliorum prepositorum describunt, aliqua ex iis aut eorum partem maligne suppresserint, iisdem pœnis subjectos esse.

§. CVII.

Titulus XXXIX. & XL. De Blasphemis, jurejurando, & Sortilegiis.

Titulus trigessimus nonus de Blasphemis, jurejurando & perjurio in quatuor Canonibus agit hunc in modum
I. Si quis quoquo modo blasphemarit in Deum, & sanctos, si Clericus sit, deponatur:

natur: si laicus, communione privetur, & ad iudices seculares deferatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.

II. Scriptum erat antiquis: non pejerabis, sed reddes Domino tuo Sacramenta tua. Christus autem suos docuit non jurare omnino, ne temere homines nomen Dei assumant, & ex jurandi consuetudine via perjurii aperiatur. Prohibet ergo hæc Synodus omne jusjurandum, nisi quod ad eliciendam veritatem in iudicio requiritur, si quis temere juraverit, & monitus in idem peccatum reciderit, excommunicetur.

III. Non præstetur juramentum super sacrosanctum Corpus Christi, sed ad sancta Dei Evangelia, aut alio in diversis locis recepto more.

IV. Si quis pejeraverit, & perjurii convictus fuerit, si Clericus, deponatur: si laicus, communione privetur.

Quadragesimus titulus tractans de fortilegiis, adjurationibus, & superstitionibus sequentes tres Canones exponit I. Damnat hæc Synodus omnes ariolos, incantatores, Sortilegos, & eos maxime, qui nomine Dei, & rebus sacris in hujusmodi superstitionibus abutuntur, qui tanti sceleris convicti fuerint, si Clerici, ordine priventur, & brachio sæculari tradantur: laici excommunicentur, & iudici denuntientur.

II. Et quia Christiano nomine indignus error nostro sæculo inolevit, ut ligationibus

Sæcul. XVI
A. C. 1584.

bus, consignationibus, vinculis, & nexibus
matrimonia impediuntur: hæc Synodus com-
munionem Ecclesie interdicit omnes eos, qui
hujusmodi superstitionibus utuntur: monet-
que fideles, ne hujusmodi commentis fidem
habeant: sed in Deo fiduciam certam con-
stituunt: nec idcirco matrimonia noctu fiant,
sed in luce, & frequentia hominum.

III. Provideant Episcopi, ne prætextu
pietatis ulli exorcismi fiant, nisi qui ab
Ecclesia probati sint.

§. CVIII.

Titulus XLI. De Simoniacis, & Fi-
duciariis.

Titulus quadragesimus primus, qui
agit de simoniacis, & fiduciariis,
sequentes octo Canones exhibet. I. Qui
pro adipiscendis beneficiis, ac pensionibus
Ecclesiasticis aliquid dant, vel accipiunt:
omnes etiam quomodocunque conferentes, re-
signantes, & accipientes quæcunque benefi-
cia custodie, aut fiducie nomine, vel ex
iisdem pensiones sine summi Pontificis au-
thoritate percipientes, aut percipientes, om-
nes denique seu Clerici, seu Laici, hujus-
modi illicitis pactioibus intervenientes, con-
sentientes, aut ex iis emolumentum capien-
tes, se simoniacos esse, & juxta constitu-
tiones contentas in bullis Pii quarti, & Pii
quinti, & Gregorii decimi tertii, a summo
Pontifice duntaxat, nisi in articulo mortis,
abso-